

Werk

Titel: Disputatio physica de monstris

Autor: Sperling, Johann; Wallrich, Christoph

Verlag: Borckardt

Ort: Wittebergae

Jahr: 1655

Kollektion: Bucherhaltung; Zoologica

Werk Id: PPN615108229

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN615108229> | LOG_0002

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=615108229>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de



DISPUTATIO.

De

MONSTRIS

Præloquium.

Solita quædiu decurrunt, nemo trepidat, nemo considerat. Subducit magnitudinem rerum consuetudo vetus. Tanta tunc non videntur, quanta naturâ suâ sunt. Ex more autem cum aliquid mutatur, erigimur, commovemur, & conturbamur. Hoc quid sit quærimus, & quas significationes habeat, sciscitamus. Idem in monstris fit, quæmiramur magis, quod nova, quam magna sint. Monere ea nos, si non voce, certè habitu, & objurgare credimus. Hinc sollicitus est animus & anxius futurorum. His insolitis ac deformibus sætibus dabimus vultum atq; animum. Neq; enim foeda foedi cognitio est, sed pulchra ubiq; veri contemplatio. Faxit gloriosus Deus, ne faciamus inutiliter.

Theses.

I. Ad hæc investiganda, non disputandum diu, an sint; an non sint. Plinius, clarissimus rerum naturalium Scriptor, in Indiâ esse ait homines caninis capitibus, quosdam etiam tam insigniter auritos, ut ad pedes aures defluant. Quosdam singulis pedibus, & adeo latis constare, ut cum contra solis æstum defendere se velint, resupinati pedem elevent, totiq; inumbrentur. Alios linguâ, alios labris carere: esse quibus nullum caput, & in pectore oculi existant: Quosdam

vivere odore, quosdam non nisi tertiis demum diebus cibum capere. Quibusdam pro sermone nutus, motusq; membrorum esse.

II. Pleraq; ista censemus vana, & Plinium aliàs novitate deceptum novimus. Famæ licentia magna est, quæ crescit longis vanitatum appendicibus. Hodie post tot peregrinationes populi Indiæ ignoti non sunt. Non ibi homines figurâ Romanis aut Germanis multum dissimiles. Monstra qui petit, non Indiã adeat, aut Africã. Pauci in nostrâ Saxoniam degunt, qui non aliquot conspexere partus monstrosos. Nunc visus Infans ornamenta muliebria gestans in capite. Nostrum in vestitu luxum monstrans, & de corrigendis vitis nos admonens. Nunc natigibbi, vulgi, plauti, & simi. Nunc curtorum fuere brachiorum, trunco crasso fatis & longo.

III. Incidit in animum ille Lazarus Colredo Genuensis Liguri Wittebergam venit anno 1645. die 15. Martij Statura bona, facies non indecora erat, neq; occurrebat quicquam, deformitatem quod obferret spectantibus. Sinistro lateri adnatus erat homuncio, quem fratrem suum appellabât, cujus nomen Johannes Baptista. Sic nati simul, simul in utero formati & concreti fuerunt, gemellorum in morem: Habebat Johannes caput, brachia, thoracem, & pedem unum. Manus erant imperfectæ, trium digitorum, pes quatuor. Caput cum pectore vergebat deorsum, ita ut resupino vultu intueretur Lazarum. Mucos præterea referatum erat, qui & in nares profluebat. Oculi clausi erant, semisomnis, pedem movebat nonnunquam. Labraminus decenti coitu conjuncta sed diducta quadantenus. ut anteriores dentes conspicerentur. Quanquam nullus denti.

dentium usus. cum ore cibum non caperet, sed è Lazaro traheret nutrimentum. Proprium cordis motum habebat, & respirationem, & reliqua facultatem vitalem attentiam. Sed nulla in ventriculo coctio, nulla in epate, aliqua in cæteris partibus.

IV. Quid sint monstra scire cupientibus dicimus esse effectus naturales cum insigni deformitate à causâ deficiente & aberrante productos, Duo dantur in monstro: effectus & defectus. Datur naturæ opus: sed corruptum ac depravatum. Formatur virtus: sed prævè format. Adest materia: sed vitiosa. Ubi nullus defectus, nulla obliquitas, nulla deviatio, ibi nullum monstrum. Deformitas monstrum constituit, præstatq; ut patrem suum conterreat infans. Non autem qualiscunq; sed enormis deformitas monstrum facit. Non enim qui nascitur cum maculis in facie, cum verrucis ac tuberibus in digitis, monstrum est. Deforme putari corpus non debet, quod verruca notavit. Efficiens causâ deficiens & aberrans est. Effectus enim cum defectu causam habet, non tam Efficientem, quam Deficientem. Multum tribuendum phantasie, cujus vires admiranda sunt. Fertur, foeminam quæ imaginem D. Johannis Baptistæ veste pilosa induti, adspexerit attentius, infantem pilosum & hirsutum peperisse. Aliâ ex aspectu hominis larvati, monstrum genuit corruptum ac rostratum.

V. Quot & quam varia monstra sint, si quærimus, infinita habemus. Infinitis enim modis à recto errare contingit. Contrahi autem possunt, respectu ad hominem habito, ad certas differentias. Ante omnia alia mutant speciem, alia servant. Tanta sæpè fit confusio

fusio, ut nescias, an hominem, an brutum spectes. Pudet referre hominem animalium principem cum feris sese comiscuisse. Narrat Plutarchus ex equa & homine infantem natum, cuius caput, collum, & manus hominis essent, cætera equi. Thales hoc inspecto dixit Periandro, sibi non videri portentum à Deo immisissum, sed esse naturalem rem, ideoq; consulere se, vel equis fones non habeant, vel uxores eis tradant. Ælianus scribit, ex homine & caprâ semiferum partum natum esse. Adolescens quidam genus caprinum amabat. Amasiam eligebat formosissimam, cui donabat hederam & juneum! Hoc ut conspexit hircus dux gregis impetu maximo in adolescentem irruit, & scelus occidit. Capra suo tempore peperit infantem, caprinam habentem crura & faciem humanam.

VI. Obscura quæstio & perdifficilis est, de naturâ horum monstrorum. An ex congressu hominis & bruti generari possit verus homo. Neq; enim semiferi partus semper editi, sed homines nonnunquam pulcherrimi. Scribit Plutarchus Fulvium Stellam muliebri odio equæ se comiscuisse, quæ deinde puellam peperit admodum formosam. Alius, referente eodem, cum asinâ rem habuit, quæ suo tempore puellam specie honestissimam peperit, cui Onosceli nomen fuit. Prætereo lubens, quod Joannes Saxo, Joannes Magnus, & ejus successor Olaus scribunt, Reges Danorum ursum progenitorem habere. Ad quæsitum respondendum, unam causam sociam effectum haud producere. Ob id enim socia est, quod alterius requirit consortium. Nihil fit ex insufficienti: at homo unus insufficientis est. Neq; brutum causæ alterius supplet

supplet vices. Hoc enim ad generationis quidem actum, sed non ad hominis productionem concurrat. Animal fit, ex animalium congressu: rationale ex rationalium; irrationale ex irrationalium. Plus ultra si tenditur, si rationale cum irrationali miscetur, monstrosa mixtio monstrosam infert genitum. Qualis causa, talis effectus. Si causa partim homo, partim capra; effectus partim homini, partim caprae similis. Pulcherrima ex asina puella Onoscelis appellata est. Ut & ibi effectus causam monstraverit. Alias exempla passim obvia liberaliter credi non oportet.

VII. Quae speciem servant, aut in sexu, aut in reliquis partibus, aliquid novi habent. Tanta quandoque partium genitalium pravitas est, ut de sexu ambigant, aut utrumque inveniunt. Lis est, an feminae in mares, & mares in feminas mutantur. Plinius ait: *Ex feminis mutari in mares, non est fabulosum.* De Empedocle versus circumfertur: *Et puer ipse fui nec non quandoque puella.* De milite in puerperam transmutato Bartholinus scribit: *Ante paucos annos, ut habent publica historia, & fide dignorum hominum comprobationes, in Ungaria miles quidam factus est in castris puerpera, prolique propter fuit illustris Comes Mansfeldicus, Dux exercitus Germanici Generalis.* Sed ad monstra referenda esse exempla haec censemus. Integer & perfectus sexus in sexum non abit. Mentiuntur sexum, cum vitia in genitalibus partibus sunt. Tunc occasione data in apertas prorumpit flammam, qui latitabat in silice ignis.

VIII. Circa aliarum partium constitutionem, nunc in numero, nunc in magnitudine, nunc
in

in unitate, nunc in figurâ, nunc in superficie, nunc in situ, monstra fiunt. Plura in homine sunt, quæ mireris, quam in cœlo & terrâ. Homo pulchritudinis passim sparsæ compendium est, spectatore, suo dignissimum, Nihil in cœteris, cujus vera in homine non detur possessio, Tanto facilius igitur ac frequentius in formatione lapsus est, quanto plura requiruntur ad perfectionem debitam. In tactu non tam facilis error est, quam in visu. Rectè enim ut videas, multa bene disposita esse, oportet: objectum, distantiam, medium, spiritus, tunicas, humores, & alia. Minor apparatus tactus, qui paucis contentus, Idem in corporum efformatione cernimus.

IX. In numero nunc excessus fit, nunc defectus. Excessus, cum pars adest, quæ abesse debebat. Defectus, cum pars abest, quæ adesse debebat. Nunc enim monstra fiunt, quæ carent oculis, manibus & pedibus. Nunc dantur, quorum manus quatuor, quatuor pedes, & plures oculi sunt. Memoratu dignum illud, quod Sicilia dedit, anno 1536. Natus est infans, habens tria capita, tria pectora, Sex brachia, totidemq; pedes. Triplici triplicis capitis ore lac fugebat, & vagiebat. Tres fuisse ibi animas, è triplici pectore iudicarunt docti. Quod confirmavit monstri interitus. Cum enim mortuum fuit, primum caput unum, hunc alterum, tandem tertium vitâ privatum, est.

X. In magnitudine pariter monstrum in excessu & defectu profertur, In excessu, cum vel totum corpus, vel pars aliqua à communi recedit mensurâ. In defectu, cum deficit à magnitudine debita, vel totum
vel

vel pars quædam. De gigantibus habetur controversia, an monstrasint, an non sint. Communiter distinguunt loca & tempora. Toletus ait: *Tunc monstra sunt, quando raro & non secundum similitudinem aliorum effectuum procedunt. Unde modo apud nos gigantes monstra essent, quæ olim non erant.* Idem ferunt iudicium de Pygmæis, quorum tota cohors pede non est altior uno. Ruvio ait. *Si in aliquâ provinciâ propter nimiam terra fecunditatem generentur procerasatura homines, qui gigantes vocantur, vel propter sterilitatem pygmai, non debent censerimonstranatura, quia non sunt præter natura leges, sed juxta eas,*

XI. Poteramus & nos esse medij, atq; ad utramq; sententiæ partem idonei. Sed multitudo errantium errori non facit patrocinium. Si monoculi in provinciâ quadam essent frequentiores, si bicipitum alicubi daretur multitudo, non expiaretur errati. Nec locus, nec tempus rectum constituunt. Accipimus pro recto id, quod plerumq; natura facit. Vero enim simile non est, naturam ut plurimum aberrare à recto. Sed non natura unius anguli, unius provinciæ consulenda. Omnis ejus ambitus iustigandus: magna enim & spaciosa res est. Sic plerumq; fiunt homines, quorum longitudo sex pedes Geometricos conficit,

XII. In unitate fiunt monstra, cum partes vel continuitatem, vel contiguitatem debitam non habent. Gravida fuit, quæ cum vidisset à lanio caput suillum securi dividi, filium genuit cui tota superior palati pars, cum maxillâ superiore, & labio superiore, ad nares usq; divisâ erat. Et natus infans est, aperto multumq; hianti pectore, eâ parte, quâ vulneratum

māritimā prāgnans māter cum terrore & trepidatione
adspexerat. Unitatis amans natura est: nihil ab eā alie-
num magis, quā divulsio ac dissectio partium. Hinc
monstra fiunt, cum partes fædè ac turpiter divelluntur.

XIII. In figurā dantur monstra, cum homi-
nēs proni brutōrum 'more terram spectant, cum fiunt
gibbi, valgi, fimi & planci. Socratem ferunt fuisse
fimis naribus, recalva frontē, pilosis humeris, repandis
cruribus. Scilicet, prāstantissima hominis figura
est, & amoena valdè, Xēuxis canistrum uvis refertum
pinxit, tam peritè & exactè, ut in scenam advolarent
aves, specie deceptæ. Rursus puerum pinxit, uvas
ferentem, ad quas cum pariter convolarent aves, do-
luit, iratusq; dixit: *Uvas melius pinxi, quam puerum:
nauisi & hunc consummassem, aves non accessissent.* Tanta
dignitas formæ nostræ! Sed optima mutantur in pessima,
ut sæpè sis nescius, an hominem cernas, an be-
stiam.

XIV. In superficie monstra fiunt, cum cutis
hirsuta est. Paucissimis pilis homo tegitur, bruta vero
hirsuta ac villosa sunt. Monstrum igitur fit, à lege &
consuetudine illā cum fit recessus. Exemplum de
puero piloso Scaliger habet. *Exigit locus hic historiam,*
ait, de Hispano puero, quem ex India advectum, aly paren-
tibus Indicis in Hispaniā natum putant. Is candidis pilis to-
tus rectus fuit. Idcirco Barbet à Gallis dictus. Quo no-
mine villosum vocant canem, quem Flandri Waterbunt.
Nec ab similibus multum historia. Esavi, cujus nativi-
tatem sacræ describunt paginæ. *Prodyt ex uterò rufus*
totus, similis toga villosa: ideo vocarunt nomen ejus E-
sau.

ſau. Spectat ad humani corporis dignitatem polita cutis. Hac sublata deformitas datur, monstrum datur.

XV. In situ sunt monstra, cum partium mutatus ordo est. Cum oculi sunt in media fronte, nares in lateribus, aures in occipite. Cum facies in tergo, & manus adnatæ scapulis. Anno 1544. natus est infans teter admodum & horribilis ad spectum, flammis & radiantibus oculis, ore naribusque bovinis, & figura cornu exsertis ac prominentibus, dorso pilis caninis hispido, simiarum faciebus in pectore extantibus quæ mammarum locus, oculis felium subtus umbilicum hypogastrico adfixis, tetrīs & minoribus canum capitibus ad utrumque cubitum &c. Plura referre piget, de Hominenaturæ delicijs & maximo naturæ miraculo.

XVI. Piget etiam deliramenta eorum referre, qui monstra ad pulchritudinem universi facere, opinantur. *Vult Deus, inquit Conimbricenses, monstra in mundo esse, tum ob alias causas, tum ob universi pulchritudinem: ut nimirum hoc spectabilis mundi theatrum non elegantium duntaxat, sed deformium quoque, velut imaginum varietate exornetur. Etenim ea, quæ facta sunt, ad universitatis decorum & elegantiam faciunt, eo modo, quo gratiam lucis commendat obscuritas noctis, & umbra atrique colores picturæ augent venustatem, dum eminentiora quæque distinguunt, & differentia colorum alterna vice sese excitante opposita juxta se posita clarius elucescunt.* Sed deforme quod est, non exornat mundum, sed deformat. Deformes imagines deformem reddunt mundum, non pulchrum ac speciosum. Ad varietatem, quæ delectat,
ſi re-